



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. VIII. Prudentia, ac dexteritas eius in iuuandis animabus; & quibus  
medijs vniuersim ad id vtebatur

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

gerat se occasionebus, quas posset vitare: ex  
eis enim lapsus eueniunt; non verò ex illis, qui-  
bus Deus illum immittit. Ad finem etiam ministe-  
rij sui examinet, quid egerit; & in quo limites  
suos excefferit: ac denique poenam aliquam ad-  
hibeat, & remedium in futurum.

## CAPVT VIII.

PRVDENTIA, AC DEXTERI-  
tas eius in iuuandis animabus; & qui-  
bus medijs vniuersim ad id  
vtebatur.



a Matth. 10.  
16.

b 2. Cor. 12.  
16.

VRE merito Christus Domi-  
nus noster Euangelicis suis o-  
perarijs commendauit, vt in  
commisissis sibi ministerijs  
a prudentes essent sicut serpentes  
& simplices sicut columba: eo  
quod vtrumque necessarium  
esset ad proximos iuuandos absque iactura pro-  
prij profectus. à serpentibus accipere debent pru-  
dentiam, dexteritatem, & sagacitatem ad animas  
Deo lucrandas, adhibentes omnia media ad id con-  
ducentia, ita vt, si id opus esset, etiam (sicut Apo-  
stolus fecit) b astuti sint ad eas dolo aliquo sancto  
capiendas. à columbis accipere debent simplici-  
tatem & puritatem intentionis, mansuetudinem  
& humilitatem, ac debitam innocentiam: vt hu-  
manitate sua bonoque exemplo animas alliciant.  
Hoc documentum exactissimè Pater hic Balthas-  
sar seruauit, lux enim coelestis in oratione sibi  
Deo

Deo cōmunicata, præclara aliqua documēta mediāq; practica illi inspiravit, quibus vtrunq; hoc foeliciter coniungeret. Quorum primum, & veluti reliquorum fundamentum illud erat: vt in agendo cum hominibus purissima intentione quæreret solum ipsum Deum, diuinamque eius gloriam; illiq; placere, nulla ratione habitæ proprii commodi, aut incommodi temporalis; nec, an illi magni essent, aut parui; nobiles, aut ignobiles; sed hoc solum attenderet, quod Deus D.N. qui omnium curam gerit, & precioso suo sanguine omnes redemit, eas ad ipsum Sanctā suā inspiratione dirigeret, vt se in hoc ipsimet Christo cōformaret dicenti: *c quem dat mihi Pater, ad me c Ioan. 6. veniet; & eum qui venit ad me, non eijciam foras: 37. quia descendi de celo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me;* ac propterea dicebat, se, nec cum pluribus, nec cum alijs agere velle, quā, quos Deus ad ipsum mitteret, vt cum eis ageret; eoque solo fine, vt illi placeret, absque alio suo lucro: ad quod valde ipsum extimulabat Dei D.N. querela apud Malachāi, d *quis d Malac. 1. est in vobis, qui claudat ostia, & incēdat altare meum 10. gratuito?* quasi nullus aliquod obsequium in templo illo præstaret gratuito, hoc est purè, vt illi placeret, & ob animarum bonum; sed ob aliquod lucrum & commodum proprium. Quare operam ipse dabat vt tanta cum puritate cum suis pœnitentibus ageret, vt ipsimet facilè aduerterent, solum Deum absq; alio humano respectu eum mouere ad agendum cum ipsis.

Ex quo proueniebat, vt se omnibus accommodaret, cum quibus agebat, cuiuscunque tandem

e Sap. 6. 8.

illi essent conditionis magni, aut parui: nec dignatus paruos, nec permittens cor suum maioribus adherere: detestabatur autem illos Confessarios, qui auctoritatē venantur ex pœnitētibus, alligantes se honoratoribus. & non vulgaribus. Quā agēdi rationē vilem ipse, & nullius momenti apud Deū appellabat: qui (vt ait Sapiens) *e pusillum & magnū fecit, & equaliter cura est illi de omnibus*: nec vult pusillos contemni; nec tamen magnos negli: sed id non ob temporalem magnitudinem, sed propter bonum animarum. Hinc etiam oriebatur, vt cū magnam seruaret Spiritus grauitatem: magna quoque exhiberet humanitatis & amoris indicia: quā ob rem tam magni, quā parui intimē eum diligebāt, ac venerabātur. Non enim in hoc agēdi modo aliud respiciēs, quā vt Deo placeret: eiusdem quodāmodo superioritatē secū gerebat, cum qua subijciebat sibi omnē terrā graditatē, quā exigua aliās est, si cum diuina cōparetur, quam ipse tanquam fidelis sui Domini minister induebat. Et ipsi Magnates, cum quibus agebat (qui vt postea videbimus plurimi fuerunt) agnoscebant in eo aded magnam Spiritus superioritatem, vt ipsorū granditatē excederet: & re ipsa in eo haberet locū, quod alios docebat, dicens: tales nos esse debere, vt cū quibus loquimur, ita verē mutētur, vt à nobis discedentes, percipiāt pectora sua dicētes: *verē filij Dei sunt isti*, habētq; Spiritum caelestē: & ita fatebātur omnes, qui cū illo agebāt, non audētes corā ipso sermones vllos huius mundi miscere, nec rerū aliarū, quā nō essent Dei. Et expectabant donec ipse tales sermones inchoaret: aded libenter eum audiebant, & venerabantur.

E A N

EANDEM superioritatē comitabatur magna spiritus libertas in agendo; non enim poenitentes suos diligebat amore aliquo imperfecto, cui carnale aliquid admisceretur; sed amore solius charitatis, & purissimi spiritus; non sibi, sed Deo diligebat; non quærebat tēporale aliquod lucrū ab eis; nec oblata etiam instanter & importunè suscipiebat: ne sanctam suam libertatem læderet: nullas priuatas & viscosas amicitias contrahebat, quæ ipsi<sup>9</sup> cor agglutinarēt; quod liberū potius cōferuare volebat, vt illis relictis, liberè posset aliō se conferre, quādo id iuberet Obediētia: nec permittebat, alios ipsum imperfecto illo amore prosequi. quare cū ab eis discederet, etiamsi grauitē absentiam illam ferrent: non tamen audebant, coram ipso, quantum eam sentirent, aperire: ac proinde neque illis ipse libertatem aufererat, agendi cum alio Confessario, aut Spirituali Patre, ex cuius conuersatione possent in spiritu proficere: modò ne id facerent ex aliqua leuitate, aut inutili conuersatione: & de ipsis Confessarijs non benè sentiebat ipse, quos intelligebat, agrè ferre se eorum poenitentes alijs confiterentur; auferentes illis libertatem cum ijs agendi, cum quibus possēt proficere: quæ ratio videtur esse mod<sup>9</sup> quidā captiuitatis, & nimiq̃ subiectionis. Imò ipse hāc ob causam spōte sua non exhibat ad Cōfessionales: vt ipsi poenitētes liberè possēt ad aliū Cōfessariū accedere, & liberiùs cōfiteri, quæ fortè ob aliquē pudorē nō auderent ordinario Cōfessario aperire.

QVAMVIS autē Zelus eius magnus esset, omniumq̃ proximorū salutem desideraret: nouerat tamē quod quādo Deus introducit seruos suos in cellam

cellam vinorum preciosorum, ordinat in eis charitatem: Vt, si amoris & Zeli vinum eos inebriat discretio & prudentia contineat, & moderetur. Quare valdè prudenter non cum pluribus agebat, quàm, sine sui spiritus detrimento posset: Nec eò intendebat, vt multi illi essent; sed vt multum proficerent; & appareret in eis familiaritas & communicatio cum ipso. dicebatque, non esse Instituti nostri tradere nos omnino proximis à dextris, & à sinistris: sic enim facilè cor nostrum secularizare, & amittere spiritum suum; sed in pondere & mensura: cum ea scilicet moderatione, quæ se ita cum viro Spirituali compatitur, vt mediâ non negligat orationis & profectus proprii: quæ admodum in Instrumentis artificis ille vsus eorum censetur bonus, qui aciei eorum sit conformis: nam si securis acies obundatur, etiam si tota die percutiat, nihil boni faciet, quæ tamen acuta, vel vna hora plus præstitisset. Nec melior Evangelicus operarius censetur, qui magnam hominum copiam post se trahit; sed is, qui nihil Spirituali in se negligens, poenitentes facit magis proficere; etiam si illi sint pauciores: hanc igitur ipse operam dabat, vt sui poenitentes in Dei seruitio proficerent, quisque iuxta proprium talentum: neminè autem incapacem iudicabat progressus, quin Sacramentorum vsu perficere posset in relinquendis vitijs, prauisq; moribus; & in veris solidisq; virtutibus acquirendis: quamuis non omnes apti essent ad orationem mentalem, & internam recollectionem: ideoque non delectabatur in condita turba, nec libenter cū ijs poenitentibus agebat, qui ita in suo profectu sistere statuebant, vt satis sibi esse

esse existimarēt, Sacramēta frequētare ad euitāda peccata mortalia, nihil solliciti de vltiori in virtutib. progressu: quem eius Zelum & Spiritū, qui nouerāt, nec vires in se ad eum sequendū sentiebant, fugiebant illum. Multò igitur magis ipse propēdebat ad agendū cū ijs, qui seriò ad altiores perfectionis gradus quotidie anhelarent: ad quos iuandos singularia Dei dona habebat, multumque laboris in eorum profectum ponebat: dicens, se non solum timere exactam rationem à se exigendam de defectibus eorum, qui suæ curæ essent commissi; sed eam etiam, quæ exigetur de virtutibus, quas illi non fuerunt affecuti, eò quòd ipse non benè illos instituisset.

DENIQUE ob eam causam valdè conabatur omnibus, quibuscum agebat, persuadere exercitium propriæ abnegationis; & passionum, prauarumque propensionum mortificationem. Et ipsemet ad id præstandum eos iuabat, exercens eos, nunc verbis ex instituto ad eos mortificandos tendentibus; nunc operibus, iubens eos facere aliquid contra propriam voluntatem: aut rei alicui renunciare, eamque abijcere, quâ ipsi aliàs oblectabantur. Habebat autem singularem ad id gratiam, quia vnumquemque ad viuum tangebatur; & in eo, in quo se ipsum vincere plurimum referebat: ita tamen iucundè, ac suauiter id faciebat, vt nemo ei propterea esset offensus: sed potiùs magis affectus, & cum maiori opinione, & æstimatione boni Spiritualis, quod ab illo accipiebant; ac proinde cum maiori desiderio iterum ad eius pedes redibant. Quibusdam cum specie cuiusdam reprehensionis dicebat: si ego id cum ali  
fecis

fecissem, quod feci tecum, iam ille magnos progressus fecisset. aliàs verò simpliciter dicebat: ne consumamus tempus, quod est valde preciosum ijs, qui benè eo vtuntur. quod tali modo dicebat, vt audiens sentiret cor conpunctum, & ad torporem excutiendum propensum. Sed hoc ipso medio adhuc clariùs vtebatur cum ijs, quos expansis velis ad perfectionem contendere videbat: cooperabatur enim D. N. in illis exstimulandis, vt simul etiàm eos probarer: nam exercitia & actus orationis absq; mortificatione, aut sunt illusiones, aut non diu durant. Omnibus autem suadebat, vt conarentur, se ipsos in ea re vincere, in qua maiorem sentirent repugnantiam; & conuersationes, visitationes, & mores aulicos, vestesque superfluas moderarentur, accomodantes se ad id omne, quod humilitati, honestati, ac decetia sui status magis esset conforme: nominatim verò, vt in occasionibus, humiliationis & opprobrij, & patientes se ostenderent, & linguam continerent: nã tales iactus & occasiones esse, in quibus animæ plurimū lucratur, & ex sua miseria exeunt: quare optandas illis esse, quæ admodū mercatores huiusmodi oportunas occasiones optāt, & quarūt vt suas fortunas augeant. Et hac ratione illos exstimulabat, ac præparabat, vt libèter & cū fructu, ac sine excusationibus acciperet ipsius monita, & aspera illa ac difficilia, quibus eos, vt benè mortificati, ac probati euaderent, exercebat.

NEC tamen ipse doctrinā hanc & monita, quæ alijs dabat, negligebat: sed exēplo suo potiùs præibat, non solū se ipsum mortificando, sed etiā libenter acceptādo mortificationes, in hac cū proximis



ximis familiaritate occurrētes: & gaudebat, cūm  
occurrerēt: vt hoc exēplo eos existimaret, ad li-  
benter similes occasiones amplectendas: vt ita in  
perfectiōe crescerēt, sicut ipse ex eis proficiebat.  
Omniū, quæ in hoc capite retulimus, præclarissi-  
ma exēpla videre licebit, cūm referentur particu-  
laria, quæ gessit in varijs locis, in quibus fuit.

## CAPVT IX.

## MAGNUM FRUCTUM FACIT

*Abula in multis personis insi-  
gnis virtutis.*



VONIAM DEO D.N. (cuius a sapiē- ANNO  
tia attingit à fine vsque ad finem forti- 1559.  
ter, & disponit omnia suauius) omnes a Sap. 8.11  
omnium prouinciarum, ciuitatum, ac  
locorum Ecclesiæ, & totius mundi  
spirituales necessitates sunt notæ; imò & ipsa ta-  
lenta ac facultates Operariorum suorum Euāge-  
licorum perspectas habet: solet particulari sua  
prouidētia eos in diuersas partes mittere, ad mes-  
sem animarū colligendā: assignando vniciq; il-  
lorū locū, ex quo possit copiosiore fructū colli-  
gere: & ipsemet amplius prospicere: quāuis inter-  
dum ex occultis suis iudicijs alteri horū, interdū  
alteri plus attendat. In quem modū, post aduentū  
spiritus Sācti, assignauit vniciq; Apostolorū Re-  
gionē ac Prouinciā, ybi esset Euāgeliū prædicatu-  
rus: S. Petrus missus est Romā; S. Ioannes in Asiam;  
S. Iacobus in nostrā Hispaniā; alij ad alia regna &  
insignes ciuitates, in quibus magnū fructum col-  
legerunt, magnosq; labores subierūt, seminantes  
eam semētem, quæ postea per alios discipulos, eò  
perue-